



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XXXI. De neglectu omnis creaturæ, ut Creator possit inveniri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

fructum multum in patientia. Horum memento fili mi verborum.

CAPUT XXXI.

De neglectu omnis creaturæ, ut Creator possit inveniri.

I. Domine, bene indigeo adhuc majori gratia, si debeam illuc pervenire, ubi me nemo poterit, nec ulla creatura impedire.

Nam, quamdiu res aliqua me retinet, non possum libere ad te volare.

Cupiebat libere volare; qui dicebat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.*

Quid simplici oculo quietius? Et quid liberius nil desiderante in terris?

Oportet igitur omnem supertransire creaturam: & se ipsum perfecte deserere, ac in excessu mentis stare, & videre, te omnium Conditorem cum creaturis nihil simile habere.

Et nisi quis ab omnibus creaturis

fuerit expeditus, non poterit libere intendere divinis.

Ideo enim pauci inveniuntur contemplativi, quia pauci sciunt se a perituris, & creaturis ad plenum liberari.

2. Ad hoc magna requiritur gratia, quæ animam levet, & supra se metipsam rapiat.

Et nisi homo sit in spiritu elevatus, & ab omnibus creaturis liberatus, ac Deo totus unitus; quidquid scit, quidquid etiam habet, non est magni ponderis,

Diu parvus erit, & infra jacebit, qui aliquid magnum æstimat, nisi solum unum, immensum, æternum bonum.

Et quidquid Deus non est, nihil est: & pro nihil computari debet.

Est magna differentia sapientia illuminati, & devoti viri, & scientia literati atque studiosi Clerici.

Multo nobilior est illa doctrina, quæ desursum ex divina influenza manat;

manat; quam quæ laboriose humano acquiritur ingenio.

3. Plures reperiuntur, contemplationem desiderare; sed quæ ad eam requiruntur, non student exercere.

Est magnum impedimentum, quia in signis & sensibilibus rebus statur, & parum de perfecta mortificatione habetur.

Nescio quid est, quo spiritu ducimur, & quid prætendimus, qui spirituales dici videmur; quod tantum laborem, & ampliorem sollicitudinem pro transitoriis & vilibus rebus agimus, & de interioribus nostris vix raro plene recollectis sensibus cogitamus.

4. Pro dolor, statim post modicam recollectionem foras erumpimus: nec opera nostra districta examinatione trutinamus.

Ubi jacent affectus nostri, non attendimus: & quam impura sint omnia, nec deploramus.

Omnis quippe caro corrumpit
viam suam, & ideo sequebatur
luyium magnum.

Cum ergo interior affectus noster
multum corruptus sit, necesse est,
ut actio sequens, index carentiæ in-
terioris vigoris, corrumpatur.

Ex puro corde procedit fructus
bonæ vitæ.

5. Quantum quis fecerit, quæri-
tur: sed ex quanta virtute agit, non
tam studiose pensatur.

Si fuerit fortis, dives, pulcher,
habilis, vel bonus scriptor, bonus
cantor, bonus laborator, investiga-
tur: quam pauper sit spiritu, quam
patiens & mitis, quam devotus &
internus, a multis tacetur.

Natura exteriora hominis respicit,
gratia ad interiora se convertit.

Illa frequenter fallitur; ista in Deo
sperat, ut non decipiatur.